

1555

prudentia succurrere labentibus rebus , atque intrepide reipubli-  
cæ christianæ clavum tenere posset . Pisano atque Cornelio ,  
patriciis Cardinalibus , idem per oratorem significant : sua-  
denter , ut illi in suprema dignitate adipiscenda suum studium ,  
ac suffragium deferant , qui neutri addictus , unum tantum sibi  
publicum bonum , atque ipsius Italiae quietem , consiliorum ,  
& actionum omnium metam præfigat .

*Theatinos  
rum institu-  
tio.*

Neapolitanus Cardinalis , ex Caraffa illustri familia ortus ,  
Theatinus vocatus , Pontifex Maximus renunciatur . Is cum plu-  
res annos Theate episcopatum gessisset , coetum humilium , ac pio-  
rum virorum instituerat , quos *Theatinos* appellavit ; qui communi  
victu utentes , acerrimos se hæresum hostes profitebantur : hu-  
jusque instituti anno M. D. XXVII. Roma bello , pestilentiaque  
vexata , cum ab Augustino Amulio , classis præfecto , Venetas  
delatus esset , præclara fundamenta jecerat : per multos annos  
Christianæ pietatis officiis in urbe deditus , complurium , eorum-  
demque illustrium civium familiaritate usus , exacta jam ætate , cum  
annum circiter octogesimum ageret , ad pontificatum sublatus .  
Ac nemo fere erat , qui Pauli ( ita enim nuncupari voluit ) an-  
teactæ vitæ cursum contemplatus , non sibi cuncta ab eo modera-  
ta polliceretur ; atque illum , qui ab humanis curis semotam æta-  
tem traduxerat , a bellicis molestiis , & regum negotiis aversum ,  
unius pontificiæ atque ecclesiasticæ dignitatis vindicem , atque af-  
fertorem fore non speraret . Sed , vel per multos annos pectore in-  
clusum ambitionis studium erupit ; vel , ut plerumque iis accidit ,  
qui ad supremum honorum fastigium tolluntur , statim humanæ  
gloriæ fastu captus , animum ambitione tumentem , vixus atque  
apparatus pompa , illustrium ac nobilium virorum assidue sibi in-  
servientium corona , nihil non eximium atque magnificum agitan-  
tem , significavit . Qui vero intimius Pauli affectus noverant ,  
summopere verebantur , ne infensus multis nominibus in Cæsa-  
rem animus , dissimulatione abjecta , aliquid agitaret , quo novis  
Italia solitudinibus , ac curis exardesceret . Qui antea delecti ad  
Marcellum legati fuerant , iidem a Senatu ad Paulum mittuntur :  
una cum illis Bernardus Naugerius , Dominico Mauroceno in or-  
dinaria legatione suffectus , Romam est profectus .

*Pauli  
Quarti  
Pontificis  
electio.*

*Oratorum  
a Veneris  
ad Paulum  
Pontificem  
electio.*

*Bernardus  
Naugerius  
ordinarius  
orator ad  
Pontificem.*

Senarum vero urbe a Cæsareanis recepta , adhuc belli reliquiae  
in Hetruria manebant , cum Alcinoi Montem , Clusium , Grosset-  
tum ,